



The Holy See

PAULUS PP. VI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE APOSTOLICAE

*GLORIA LIBANI**

VENERABILIS DEI FAMULUS SARBELIUS MAKHLOUF, SACERDOS MONACHUS ORDINIS ANTONIANI BALADITARUM SYRO-MARONITARUM, MODO ORDINIS LIBANENSIS MARONITARUM, BEATUS RENUNTIATUR.

«Gloria Libani», ut verba Isaiae, salutis per Messiam comparandae praeconis (1), ad aliud transferamus, aetate, quae a Salvatore nostro originem ducit, sine dubio est christiana religio fideliter servata, diuturnum unitatis ecclesiasticae studium, pervetus monasticae vitae exercitatio, e qua Maronitarum gens nomen et vim repetit, et viri non pauci Deo devoti sanctimoniae laudem acceperunt. Inter quos recentioribus temporibus eminent Sarbelius Makhlouf, ex Ordine Libanensi Maronitarum, quem hodie Beatorum numero sollemniter accensemus. Gaudemus autem, quod Nobis datur Ecclesiae Orientalis filium universae catholicae familiae ut virtutis exemplar proponere, summos ei honores tribuendo, idque sub exitum Concilii Oecumenici Vaticani secundi, quod illius Ecclesiae dignitatem et proprios usus a maioribus traditos reverenter servare et augere conatur; qua de causa fulgens veluti arcus caelestis, huius egregii sectatoris Christi opera, Orientem et Occidentem coniungere in praesenti videtur. Iuvat quoque memorare Nos nuper eosdem honores decrevisse Iacobo Berthieu, qui apostolatu missionali atque adeo in vitae actione seu tamquam spirituali decertans agone, palmam promeruit. Nunc vero monachus, abstractus omnino ab humana consortione et in solitudine divinarum rerum contemplationi deditus, extollitur. Utraque vita ab Ecclesia praedicatur, siquidem in corpore Christi mystico «omnia membra... non eundem actum habent» (2). Atque Concilium, quod diximus, non dubitavit de iis, qui umbratiliem huiusmodi vitam agunt, in hanc sententiam loqui: «Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei sanctitatis uberrimis fructibus collustrant atque exemplo movent necnon arcana fecunditate apostolica dilatant. Ita Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum» (3). Libanus igitur, quo nomine albicantes montes significantur et quam terram Christus Dominus, humana carne indutus, beneficia impertiturus invisit (4), eum, cuius laudes celebramus, circiter annum millesimum octingentesimum duodecimum, eiusdem Salvatoris amore praevenit,

edidit in pago, cui nomen vulgare est *Beqà Kafra*. Hic omnium altissimus est vicorum Libanensium, non longe ab annosis cedris, quae patulis ramis in caelum veluti exeunt. Parentes Antonius Za'rour Makhloof et Birgitta Al-Chidiaq, pauperis agelli cultura ac tenui re pecuaria vitae rationibus consulebant, sed domesticarum virtutum fulgore erant praedivites. Maxime mater Deo supplicandi et ieiunandi consuetudine emicuit. Soror quoque, vulgo *Wardé* nuncupata, mirum quantum pietate inclaruit, et, antequam terrenas iniret nuptias, caelesti Sponso post brevem huius lucis usuram est iuncta. Duo avunculi, Iosephus et Antonius, in solitudinem monasterii Sancti Antonii loci *Kossaia* confugerant. Tales fuere parentes ac necessarii Iosephi, quo nomine in baptismo est vocatus, ut dignus iis filius et propinquus dignosceretur: parentes vero ita filio digni, ut praecipuo Dei munere longe multumque ab eo superarentur. Ceterum vitae condiciones, quae in familia illa obtinebant, similes fuisse videntur iis, quae in Evangelio describuntur. Humilis enim domus, quae simplices illos sed fortes, tenaces, operosos Libanenses habebat, non in conclavia erat divisa, sed uno tantum spatio homines et animalia continebantur. Rudimenta litterarum puerulus in schola sub umbra arboris sedens didicit, quae disciplina praesertim eo pertinebat, ut alumni librum psalmodum legere scirent, qui lingua Syriaca erant conscripti non multum dissimili sermonis, quo Nazarethana usa erat familia. Iosephus in ecclesia libenter sacros ritus participans, ministri munere aetati congruente fungebatur et pecus in montana illa regione pascebat. Mater, post immaturam mortem mariti, novum iniit matrimonium, viro nubens probissimo. Servus Dei, curis Antonii patris ex eo tempore creditus, talem se gerebat, ut, alienus a nugis et fluxis saeculi rebus, religiosus iam tum esse videretur. Itaque, annos natus tres et viginti, mundum, cuius virus non noverat, cuius irritamenta devitarat, reliquit, ut Deo in sacro asceterio se penitus devoveret. Nomen vero dedit Ordini Antoniano Baladitarum Syro-Maronitarum, qui nunc ardo Libanensis Maronitarum appellatur, in monasterio Beatae Mariae Virginis, Dominae Nostrae, a *Maifuq*, scilicet «viam compendiosorem et securiorem vitam elegit» (5). In «ovile paenitentiae» ingressus (6) et nomen Sarbelii, Martyris Edesseni, adeptus, in arctiorem religiosae virtutis scholam se abdidit. Cum vero monasterium illud, pagi domibus circumdatum, non impenetrabile ei visum esset praesidium, inde se abripuit, ut in asceterio Sancti Maronis loci *Annaya*, ab hominum frequentia secretiore, monastica instituta obiret. A quo proposito mater aliique necessarii eum deterrere nequibant. Ibi die prima mensis Octobris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, religiosa veste sumpta, sollemnum votorum sponsione se Deo obligavit. Moderatorum mandatu sacerdotio initiandus, studia in monasterio Sancti Cypriani ad vicum *Kfifa* exercuit, ubi, piissimis viris Nehmetallah el-Kafri et maxime Nehmetallah Kassab el-Hardini usus magistris, non solum necessariam didicit doctrinam sed etiam, quod est potissimum, veram vitae sapientiam hausit. Die vicesima tertia mensis Iulii anno millesimo octingentesimo undesexagesimo in sacerdotis dignitate ac munere constitutus, superiorem vivendi rationem alacris institit: sibi firmissime constans, nihil de cotidiano instituto, quod liturgiae celebratione, precationibus, opere agresti, brevi somno efficiebatur, remisit. Hoc profecto modo ad sanctimoniae fastigium est enisus, siquidem non minus forti et nobili animo miles praecellit, qui locum sibi mandatum tenet immotus, quam is, qui extra prorumpit ad consequendam victoriam. Sacerdotio igitur ornatus, Sarbelius ad monasterium Sancti Maronis revertit, ubi sedecim annos inter fratres est conversatus. Postquam eodem loco documenta dedit virtutis singularis, Moderatorum concessu in eremum, Sanctis Apostolis Petro et

Paulo sacram, ad id coenobium pertinentem et in summo montium iugo positam, se recepit, ubi, cum altero sodale degens unice Deo vacans, caelestem quandam vitae formam iniiit; scilicet contemplationi supernarum rerum intentus, voluntariis castigationibus in se animadvertit et Christum pauperem imitatione exprimere studuit: vili tunica et cilicio indutus, habitabat in cella squalente; semel in die cibo tenuissimo, carne numquam, vescebatur; asseres pelle obducti locum praebebant dormienti; quidquid temporis supererat, id totum in precibus, praesertim liturgicis, ad Deum fundendis insumebat. Summo animi ardore Eucharisticum Sacrificium cotidie celebrabat, ad quod diu se antea parare consueverat. Qua in sanctissima re lacrimas profundeabat et caelesti quodam impetu rapiebatur; eratque ei sollemne Christum Dominum in augusto Sacramento praesentem quasi invisentis more adorare. Deiparae Virgini addictissimus, Rosarii preces genibus in sacra aede nisus spirituali cum gaudio recitare solebat. Pro animis quoque in piaculari igne versantibus Deo non desinebat preces adhibere. Praeter paupertatem et humilitatem castimoniam ita colebat, ut illibatum eius florem servarit; quin immo tanta erat austeritate, ut ne consanguineas quidem mulieres, veluti sororem, reciperet. Sed admirabilis prorsus fuit et, ut quidam scripsit, «angelica» eius, qui numquam munus in Ordine gessit, oboedientia: Moderatoribus, sodalibus, immo servis, victor sui ipsius, ita parebat, ut nemo cognosceret, quid ei gratum foret, quid ingratum; regulis vero Ordinis sic obsequabatur, ut numquam transversum digitum ab iis discesserit. Hic virtutum splendor augebatur incensa eius caritate, «dulci ac salubri vinculo mentium» (7). Cum igitur sanctimonia eius claresceret, quae etiam prodigiis, uti tradunt, confirmabatur, homines per eum ut perfectionis exemplum salutariter movebantur ad eumque, spirituali vel temporali acti necessitate, fidentes accedebant. Scilicet Sarbelius vitam, sanctitate commendatam, veterum anachoretarum, deserta loca incolentium, referebat. Recte in eum cadunt verba, quibus Sanctus Athanasius affirmat ex ipso Antonii Abbatis habitu corporis interiorem pulchritudinem eluxisse: «Neque tamen statura, aut latitudine aliis praestabat, sed morum compositione atque animae puritate: namque cum imperturbatam gereret mentem, tranquillos item habuit externos sensus; ita ut ex animi laetitia vultus hilaritas proveniret, et ex corporis motibus animae status sentiretur» (8). Cum igitur viginti tres annos Deo in solitudine esset famulatus, dignus demum est habitus, qui servi fidelis acciperet praemium. Cum enim mense Decembri anno millesimo octingentesimo nonagesimo octavo in divina liturgia pretiosissimum Domini Sanguinem sumeret, apoplexi arreptus, animae defectum est passus. In cellam translatus est, ubi, aspera tunica indutus, adhuc octo dies decubuit. Denique die vicesima quarta eiusdem mensis, is, cuius «conversatio fuerat in caelis» (9), dum viveret, corporis pondere solutus iis coepit frui bonis, quae neque aspectu oculorum comprehendi, neque auribus percipi, neque ulla cogitatione queunt adumbrari. Corpore ex animo in sepulcreto monasterii Sancti Maronis rite condito, fama sanctitatis, qua Famulus Dei iam vivens fuerat insignis, magnopere increbruit, maxime ob miras sanationes, quae, eius invocato nomine, a Deo dicebantur effectae. Quam ob rem Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem tribuendis est acta; atque post ordinarios, quos vocant, processus, Commissio introductionis Causae a Pio PP. XII, Decessore Nostro rec. mem., die secunda mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto obsignata. Apostolicis deinde inquisitionibus absolutis, de virtutibus theologalibus et cardinalibus Famuli Dei Sarbelii Makhlof est disceptatum; quas, omnibus perspectis et expensis, ab eodem heroum in

modum cultas esse Nos, lato Decreto die quinta decima mensis Iulii anno millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, ediximus. Exercita deinde quaestione de miraculis, quae Famuli Dei deprecatione a Deo ferebantur patrata, omnique re in suetis comitiis diligenter exquisita, Nos die vicesima tertia mensis Novembris eodem anno de duobus pronuntiavimus constare. Unum igitur superfuit excutiendum, num Famulus Dei inter Beatos Caelites tuto esset recensendus. Quod quidem factum est. Purpurati enim Patres sacris Ritibus tuendis praepositi, Praelati Officiales Patresque Consultores id fieri posse cunctis sententiis affirmarunt. Quorum exceptis suffragiis Deoque enixis precibus admotis. Nos die secunda mensis Decembris anno millesimo nongentesimo sexagesimo quinto ad Venerabilis Famuli Dei Sarbelii Makhoulf sollemnem Beatificationem *tuto* procedi posse ediximus. Quae cum ita sint, Nos vota Ordinis Libanensis et universae Ecclesiae Maronitarum aliorumque Christifidelium Orientalium explentes, harum Litterarum vi et auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Famulus Dei Sarbelius Makhoulf *Beati* nomine in posterum appelletur, eiusque corpus et lipsana publicae fidelium venerationi proponantur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis nec non Decretis de non cultu editis ceterisque quibusvis contrariis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Decembris, Dominica II Adventus, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

a publicis Ecclesiae

negotiis

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 14, pp. 955-960(1) Cfr. 35. 2.(2) *Rom.* 12, 4.(3) *Decr. De accomm. renov. vitae rel.*, 7.(4) Cfr. *Mt.* 15, 21-28; *Mc.* 7, 24-30.(5) Cfr. S. Bernard. Serm. 93; *PL* 183, 716.(6) Cfr. Reg. et Const. Monachorum Syr. Maronit. Ord. S. Anton.(7) Cfr. S. Aug. Sermo 350, 3; *PL* 39, 1534.(8) *Vita S. Ant.* 67; *PG* 26, 940.(9) Cfr. *Phil.* 3, 20.

© Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana